quippe de nostra resistendi potentia desperantes. Sin clanculum mala intentent, obviam eis erit eundum, 5) *simulando eoque ipsos fallendo*, ad quod percommodum erit, si ita actiones nostras instituamus, ut ipsi, quo potissimum illæ tendant, ignorent. Ita namque de nostro instituto dubii tela minus certa in nos conjicere poterunt, nobis vero facile erit fallere eos atque illudere prius desideria nostra implentes, quam ipsi, quæ illa fuerint, cognoverunt. 6) *diffidentiam inter eos disseminando*; ita enim eorum machinationes & insidiæ aut nobis innotescent penitus, aut remoram accipient, quo minus perfici feliciter queant.

§. 13.

Supereſt, ut de Infortuniis ab inferioribus nobis inferendis dispiciamus, quæ evitari & amoveri posse videntur, 1) *Autoritatem h. e. impressam inferioribus opinionem reverentem de superiore ejusque statu, sibi metu & amore temperatam apud eos conciliare*; metus enim nocendi animum auferet, amor contra reverentiam promovebit. 2) *Benevolentiam ac humanitatem eis exhibendo*, quæ triplici via poterit obtineri, *Lenitate, Beneficentia & Indulgentia. Lenitate*, ut verbis factisque benignus sis, comitate & alloquiis officia provocans, quæ tamen salva autoritate adhibenda, ne aut reverentiam terrore, aut amorem humilitate captes. *Beneficentia*, ut liberalitatem exerceas & inferioribus facto pariter ac consilio succurras. Liberalitate enim & beneficentia nihil est humanæ naturæ accommodatius: cum accipere omnium dulcissimum sit. Quod noverat Augustus Imperator, qui ut omnium animos in sui amorem traheret, militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit. *Indulgentia*, ut in errores eorum nimium ne advertas, aut eos atrociter punias, ita tamen, ne morum corruptela aut peccandi licentia introducatur. 3) *Nimiam familiaritatem cum eis fugiendo.* Uti enim fastuosum ac morosum ingenium odiosum semper atque invisum est, ab humanitate autem favor nascitur, à majestate cultus & admiratio: ita à nimia familiaritate provenit contemtus; maxime si joci cum inferiore misceantur. Sic refertur de Legato quodam regis Galliæ, *qui* Londini commorans delectandi animi causa gymnasium ingressus opimum secum adferri curabat gallum, quem ei promittebat, qui primus